

Rome, fin 1600 ou début 1601.

cf 146

/ Admodum illustris et R^{de} Domine. Binas habeo literas à Domina-
 tione tua ad me datas, sed unius et eiusdem argumenti. Egi nuper
 cum Sanctissimo Domino nostro, sed jnihil certi referre potui. Quia
 vero negocium hoc magna ex parte ad Ill^{mum} Card. Gesualdum, nostri
 5 Senatus Principem, pertinere cognovi, et mihi cum illo maxima fami-
 liaritas intercedit, coepi cum illo agere, et causam vestram totam,
 id est, pensionem, aes alienum et Praeposituram diligentissime com-
 mendare. Quod ad pensionem attinet, magna spe teneor eam super Epis-
 copatum constituendam et stabiliendam antequam confirmatio electi
 10 Episcopi expediatur. De aere alieno dissolvendo sumptibus Ecclesi-
 ae, nisi certo demonstretur aes illud alienum conflatum propter Ec-
 clesiam, non audeo aliquid polliceri. De praepositura res facilli-
 ma initio mihi visa est, nunc autem video nunnulas interseri diffi-
 cultates. Ego pro mearum virium tenuitate non deero rem totam pro-
 15 movere cum apud Sanctissimum Dominum nostrum, tum apud Ill^{mos} Car-
 dinales Gesualdum et S^{ti} Georgii. Compatior enim ex animo calamita-
 tibus D. V. et si minus pro voto res succedit, imbecillitati meae,
 non voluntati aut negligentiae adscribendum erit. Precor D. V. à Deo
 Spiritus Sancti consolationem, meque precibus vestris commendo. Da-
 20 tum Romae.

D. Bonaventurae Han.

Pragam.

F. B. 5, fol.140. Brouillon autogr.